



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. III. Jus proprietatis dividitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

tis aliunde constitutum) sed positâ solâ lege aut quasi lege formaliter ponitur jus proprietatis, & ablata sola lege, etsi cætera ponantur jus proprietatis tollitur (nec lex est terminus, cum quo jus aliunde constitutum essentialiter connectatur) ut declaratum est, ergo.

7. Pro solvendis oppositis Nota primò, non obstat, quòd lex Divina aliquando juris temporalis constitutiva sit æterna; quia lex Divina ab æterno non pro æterno, sed pro tali tempore confert mihi jus.

Nota secundò; dum dicitur, quòd sæpe quis cogitet transferre ac re ipsa transfert jus suum in alterum immemor legis, ergo lex non constituit jus.

Resp. Esse immemorem legis sub conceptu legis explicito, secus sub conceptu convertibili cum lege, qualis conceptus est, quod cogitet de sufficienti sua potestate ad transfe-

rendū jus in quocunq; demum illa consistat.

Nota tertio lex constitutiva juris Divina pro objecto voluto habet suum complementum, seu quid rerum eam complens in esse liberi, unde necessaria non est, ut lex juris constitutiva habeat pro objecto voluto ipsum jus formale, consequenter nec se ipsam. Deinde sine absurdo concedi potest quod lex se ipsam habere possit pro objecto inadæquato; vult enim E. g. Petrum esse Dominum, seu Petrum cum jure, proinde Petrus est objectum inadæquatum, & præter Petrum etiam lex, cum nequeat aliter aliquis actus esse lex, nisi quatenus vult se ipso obligare; atqui nequit se ipso obligare nisi velit se ipsum: sed ut dixi, non est necessarium, quia obligatio est effectus formalis resultans ad existentiam actus legislatoris hoc ipso, quòd vi sui modi tendendi denominet rem à se præceptam, aut vetitam.

§. III.

Jus proprietatis Dividitur.

8. **C**onstat ex numero secundo juncto quinto jus proprietatis esse, aut naturale aut positivum, estque utriusque differentia indicata, nempe quòd positivum dependeat ab arbitrio libero Divino vel humano, secus naturale; hoc enim juxta me est ipsa natura rationalis prout respiciens certa objecta circumstantiata, id est, prout hæc certis vestita sunt circumstantiis, aut secundum communiorem est dictamen rationis antecedenter ad omnem liberam Societatis Conventionem & legem ligans naturam rationalem, tale jus est in DEO ad sui cultum, suppositâ enim DEI solâ, & naturæ

rationalis existentia ratio dicitur independenter à lege Divina, aut humana nos obligari ad colendum DEUM: unde jus naturale simpliciter sumptum (nisi objecti ipsius circumstantia mutetur, quæ mutata cessat esse ipsius propria materia) est immutabile ac indispensabile relatè ad objectum suum, si ex variata aliqua circumstantia cesset ejusmodi objectum esse materia, quam jus naturæ respicit, jam non erit jure naturæ illicitum: sic jus naturæ vetat occisionem, aut mutilationem autoritate privatâ, ac ex circumstantia E. g. Divinæ dispensationis (sic Abraham licitè occidisset filium suum Isaac
Inno;

Innocentem, à DEO vitæ proprietatis Domino jussus, nisi postea mandatum revocasset) aut publicæ autoritatis in reos exercendæ, aut necessariæ justæ defensionis libertate quis occiditur.

9. Dividitur jus naturale primò in simpliciter tale, & in tale secundum quid, utrumque fundatur in naturæ inclinatione cum hoc discrimine, quòd, quando saltem DEUS Author naturæ potest privare effectu suo ac impedire, creatura jus proprietatis in natura fundatum non habeat simpliciter sed secundum quid, nempe cum dependentia à libera concessione Divina. Hoc modo homo licet non sit Dominus proprietarius vitæ ac membrorum simpliciter, est tamen secundum quid per numerum 5. quando autem nequit impediri à DEO effectus juris, jus ad ejusmodi bona est simpliciter tale. Tale jus habet DEUS in sui cultum, ut non odio habeatur, natura rationalis ad non deceptionem sui per mendacium, &c. Quando autem lumen naturale non inclinatur ad inducendam obligationem, dicitur jus merè proprietatis positivum.

Inter naturale & positivum intercedit quasi medium jus gentium seu aliquid de utroque participans, & ab utroque in eo discernitur, quòd naturale contineat præcepta ex principiis naturalibus absoluta necessitate etiam non præsuppositâ humanarum gentium necessitate & consuetudine deducibilia, uti sunt præcepta Decalogi: jus autem gentium comprehendat præcepta, quæ quidem ex principiis naturalibus deducuntur, non tamen absolutâ necessitate, sed consuetudine gentium. Hoc jure est introducta terrarum divisio, jus legationum, commerciorum, contractuum, foederum, bellorum, induciarum, servitutum. Etsi enim homo habeat jus naturale proprietatis

secundum quid in usu membrorum suorum, proinde jure naturæ nullus sit servus: quia tamen hoc non prohibet, quo minus exigente id bono communi possit lex servitutis condi, jure gentium est inducta servitus. Obligatio itaque proxima juris gentium supponit humanam Societatem & consuetudines inter gentes, secus jus naturale: ab hoc tamen totaliter non distinguitur utpote continens multa præcepta naturalia, nec sit de rebus merè indifferentibus, sed quæ post introductas consuetudines, humanamque Societatem exigunt prohiberi aut præcipi, secus ea quæ sunt juris positivi. Ita communis opinio.

Hinc rejicitur communis juris consultorum juris naturæ, & gentium expositio in lege 1. de justitia, & jure cum Ulpiano docentium jus naturale esse, quod natura omnia animalia docuit, gentium verò, quo gentes solæ humanæ utuntur. Hæc expositio confundit instinctum conformem naturæ ut sensitivæ communi cum brutis, & instinctum naturæ conformem naturæ rationali ut rationali, quæ sola est capax juris naturalis, operationisque honestæ, jus itaque omne propriè dictum congruit solum naturæ rationali. Quid ego nunc sentio, exprimo n. 388.

10. Celeberrima juris proprietatis ex parte termini divisio est in jus in re, & jus ad rem. Jus in re secundum communem cum Molina definitur, quòd sit jus cui *res ipsa devincta est*, hoc est, devincit sibi potius rem, quàm determinatam personam, unde est facultas rem ubicunque & à quocunque detentam ut propriè suam vindicandi, quo circa jus in re consuevit etiam dici jus reale, seu quasi ipsi rei adhærens: jus verò ad rem ab eodem Molina definitur esse jus, cui *res ipsa nondum devincta est*, sed re-

respicit personam determinatam, hancque immediatè obligat (& ideo vocatur etiam jus personale) ad rem illam præstandam, quin hæc possit immediate occupari ab habente jus ad rem v. g. emisti equum à Petro, quem tibi nondum tradidit, eundem postea vendidit Paulo, huicque equum tradidit; Paulus habet jus reale in equum, tu verò solum personale: unde nequis tollere Paulo equum, sed directè potes agere in personam petri actione quæ vocatur personalis secus actione reali.

Ex his potest etiam sic exponi *jus in re & jus ad rem* dicendo *jus in re* est, quod tribuit actionem realem, seu vi cuius rem ipsam obligatam habet, ita ut ad quemcunque res transeat, ejus Domino maneat adstricta, possitque ab eodem vendicari. *Jus ad rem* est, quod directè, ac immediatè non præbet actionem in rem, seu realem, sed tantum personalem, id est, in personam, siquidem res ipsa per se nostra non est, sed solum persona determinata est obligata ad rem aliquam suo tempore tradendam & ideo, si ejusmodi res tradatur alteri, non possimus eam nobis vendicare, uti constat ex exemplo allato: Actio realis dicitur etiam rei vindicatio, est autem actio ut sic *jus persequendi in judicio id, quod sibi debetur* §. 1. *institit de actionibus*.

II. Est etiam generalis divisio juris proprietatis in paternum, conjugale, & herile, seu jus intercedens inter Patrem & Filium inter virum, & uxorem, inter Dominum, & servum. Intelligentia hujus divisionis pendet ex favore legis per numerum 6. constitutivæ juris proprietatis, unde quantum favet uni ex his adversus alterum, tantum habet jus in alte-

rum, unde cum lex aliquando inter Patrem & Filium, &c. considerat tanquam duo respectu alicujus boni, aliquando ut unum sicut membrum cum suo physico supposito, inde fit, ut lex quandoque det Filio jus proprietatis adversus Patrem, ut in bonis castrensibus, & quasi castrensibus à filio acquisitis, quia quoad hæc lex Patrem, & filium considerat, ut duo physica, & civilia supposita, quandoque autem lex cum filio negat jus ad quædam bona, ut præsertim ad profectitia, id est, acquisita à filio ex substantia Patris, aut dono ab aliis facta principaliter intuitu Patris, unde filius relate ad hæc consideratur solum cum jure eo, quod habet membrum ad suum physicum suppositum.

Pariter uxor ad maritum ad bona quædam nempe pura paterna honorem, famam, se habet ut suppositum physicè, ac civiliter diversum proinde maritus usurpando similia bona, aut inhonorando, aut infamando uxorem facit ei injuriam, uti & negando injustè debitum conjugale, econtra ad reliqua bona administranda uxor se habet ut membrum ad suum suppositum respectu mariti: hic enim à lege constitutus est administrator, & cum etiam servus ex lege est Dominus famæ, honoris & quorundam temporalium E. g. peculii ex consensu expresso, vel tacito Domini à servo acquisiti, respectu horum retinet servus jus proprietatis contra Dominum, estque ab hoc suppositum etiam civiliter diversum, seque habet non ut servus, sed ut Dominus, ita S. Thomas hic quæst. 57. articulo 4. ad secundum.

12. Ad acquirendum jus proprietatis ad rem seu personale sufficit titulus, cujus nomine venit id, in quo totum jus primitus fundatur, ideoque est prima ra-

dix Dominii E. g. donatio, promissio, aut aliquis alius contractus puta emptionis, mutui, &c. non secuta rei traditione.

Ad acquirendum autem jus in re seu reale regulariter tria ex Molina requiruntur. Primum physica aut moralis rei existentia (rei enim non existentis non datur vindicatio) physica quidem in rebus corporalibus, sive manu tangibilibus, ut vestis, domus, ager, &c. moralis verò in rebus incorporalibus, id est, manu intangibilibus, ut usus, usus fructus, patronatus, servitus, beneficium, hæreditas sumpta pro jure ad bona defuncti, omnia denique jura in, aut ad aliquid, hæc enim non sunt quid reale, sed morale, hoc est, in existimatione hominum existens, supponens tamen aliquod physicum præexistisse v. g. contractum fundans moralem hanc existentiam. Secundum requisitum est titulus jam explicatus. Duo hæc requisita semper sunt necessaria. Tertium est traditio rei, seu possessio, estque Generalis ex Molina regula, quando ex dispensatione speciali juris non constat, ante traditionem acquiri jus in re, dicendum est, quod posito titulo ante traditionem acquiratur solum jus ad rem; quia autem in quibusdam casibus leges disponunt per solum titulum ante traditionem acquiri Dominium, seu jus in re, idcirco dixi regulariter prærequiri tria ad requisitionem juris in re.

Dominia rerum non transferri regulariter ullis pactis, seu titulis sine traditionibus habetur in lege *traditionibus Cod. de pactis*, neque vicissim traditione sine titulo venditionis, aut alterius justæ causæ exprimitur lege *nunquam ff. de acquirendo rerum Dominio*

Casus autem in jure expressi, in

quibus jus in re comparatur ante traditionem, sunt sequentes. Primò in legato, in donatione & venditione facta civitati, Ecclesiæ aut aliis piis locis, Secundò acquiruntur Ecclesiastica beneficia solâ collatione, & acceptatione, Tertiò fiscus acquirit jus in re ad bona rei à die commissi delicti, hinc ab eo die ad quemcunque transeunt, transeunt cum onere, quo fisco alliganrur. Quartò acquiritur hæreditas tam ex testamento, quàm ab intestato per ejus aditum, aditur autem acceptatione, seu profitendo se hæredem velle esse ante actum possessivum §. *item extraneum Inst. de hered. qualitate, & different.* Hoc modo res reliquæ omnes incorporales jure hæreditario comparatæ transeunt in hæredem. Pari modo legatum acquiratur statim legatario etiam ignorantia à die aditæ ab hærede hæreditatis: imo ex fictione juris ab ipsa morte testatoris: ut colligitur ex lege à filio ff. *de furtis, ea inquit, que legantur rectè viâ ab eo, qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt.* Nisi legatum repulerit L. *si tibi ff. cum servus ff. de legatis.* Casus procedit de legato in individuo determinato, ut si legetur talis fundus, res enim legata incerta quantitate, ad individua-liter incerta v. g. tantum de pecunia, vel frumento, &c. legatarius non comparat hujus Dominium, sed actionem hypothecariam, per quam bona defuncti ad quemcunque perveniant, manent hypothecata, & obligata legatario pro legati solutione, *Leg. 1. & 2. quamvis codice de legatis.*

Putant etiam aliqui spectare ad præfatos casus res à Principe donatas, vel alio contractu Dominii translativo inito, cum enim spectet ad Principes leges conde-

re,

re, vero similiter censeatur transferre dominium ante traditionem: sed probabilius molin. Cum aliis restringit hoc ad donata, aut ad concessa privilegia, quia tunc praesumitur agere ut non subiectus legi positivae requirenti traditionem ad jus in re, secus in contractibus onerosis. Reliquos casus vide apud Less. lib. 2, cap. 3. dubio 3.

Ex dictis infero comparative ad eandem rem sub diverso respectu posse tibi competere jus in re, & ad rem, ut si quis

injustè dejiciatur à possessione rei suae, respectu amissae possessionis habet jus solum ad rem, respectu autem rei possidendae habet jus in re, unde potest eam vendere, donare, ac in judicio saltem petitorio Possessorem convenire, remque citra ullius injuriam sibi vindicare, dum alter definit possidere. Item in re fructifera à te empta tibi tradita habet jus in re relate ad rem fructiferam, fructusque tunc existentes respectu autem futurorum jus duntaxat ad rem.



ARTICVLVS SECVNDVS.

Dividitur, & definitur dominium Proprietatis.

13. **C**ertum est ad dominium proprietatis indispensabiliter requiri jus in re, habens enim jus ad rem non est Dominus rei, hinc jus proprietatis latius patet, quàm dominium, quia hoc nequit reperiri sine jure proprietatis, secus hoc sine dominio, ut dictum, jus itaque proprietatis ut sic se habet ut genus, dominium verò ut species juris, jus tamen in re non datur sine dominio contra plures Doctores.

Divisio prima domini est in dominium proprietatis, & jurisdictionis: horum discrimen est exponendum ad eum modum, quo ipsa jura proprietatis, & jurisdictionis distinximus numero secundo.

Dominium proprietatis dividitur in Ecclesiasticum per se ordinatum directe in

bonum spirituale fidelium, & in politicum per se ordinatum ad felicitatem publicam, seu civium utilitatem per numerum 1. & 2. hoc subdividitur in Democratiam, quando ipsa populi communitas imperat, in oligocratiam, quando penes paucos residet Imperium, Aristocratiam, quando penes primates, & Monarchiam, quando penes unum tantum. Commune est utrique dominio, quod possit impediri quin tollatur: aliquando autem etiam tollitur, sic secundum plures à die commissae hæresis omnia bona delinquentis manent fisco addicta & huic ipso facto acquisitum est dominium proprietatis in bona: aliquando autem leges non tollunt dominium, sed ligant, idque dupliciter nempe vel prohibendo solum licitum u-

B 2

sum